La Meſchina uſcì d' Aprile
Dal funeſto ſuo Covile.

Quanti fur, che alla Defunta
(Tal sì diſſe) oravan requie;
Io al pallore atro di Morte
La compianſi atta all' eſequie:
Io la vidi al punto giunta
Della miſera ſua ſorte;
Quante volte in voce laſſa,
Ecco, diſſi, ecco che paſſa!

Oltre a ciò, quel brutto ballo
Io ramento in riva al Tago,
E in la ricca Ibera piaggia,
Che vorria di pianto un Lago,
Onde il mal sù Noi non caggia
In mercè del lungo fallo;
Talchè piego al ſuolo il collo,
Che tem' io l' ultimo crollo.



Teme il Pò, teme la Marca,
Che non ſon da noi sì lunge;
Ove ſpeſſo il ſuol riſalta,
E i commoſſi animi punge,
Saggio io chiamo chi nell' alta
Strage altrui la ſua rimarca;
Il ſuo mal cieco non ſa
Chi tripudia in queſta età.

IL FINE.

CARMINA.



CARMINA

IN CHRISTI DOMINI NATIVITATEM.

ELEGIA.

O Deus aeterna qui majeſtate verendus,
Quique timenda manu tela rubente geris.
Queis regis innocuos, tumidos queis comprimis hoſtes,
Et ſubito ex ima fulmine ſtirpe rapis.
Ceu pulvis tenuis vacuo ludibria Coelo,
Quem ventus celeri torquet in Orbe levis.
Impia peſtiferae ut flectant contagia turbae
Natos de recto tramite, cerne, tuos.
Criminis hinc alios urget ſcelerata cupido,
Praecipites alios in ſcelus omne ruit.

Flagitiis squallentque viae, squallentque Penates;
Multa pudor vitiis vulnera castus habet:
Impietas audet tumidos expromere cultus;
Aspice, ut illa tuum perdat iniqua decus;
Atque tuis falsum statuatur Numen in aris,
Et falso urantur Numine thura focis.
Quin etiam ut custos Orci dominetur in Orbem,
Cui tres sunt linguae, terg'minumque caput,
Aspergatque viros tabo, sanioque trifauci
Ore, & cuncta ruant oppida flagitiis.
Talia dicentem Superum regnator ab arce
Audiit, & tales reddidit ore sonos.
Ecquis erit finis? patiar succumbere letho,
Quos genitor feci paene pares superis?
Infernasque domos, stygiamque innare Paludem,
Obscura &, Pluto regna subire tua?
Non ita; sedibus at potius revocentur ab imis,
Atque suum Coeli Numen in axe colant.
Concipiat Virgo, & castae sit Filius alvi;
Ast eadem labis conditione vacet;
Cumque caput fuerit, tantorumque una malorum
Foemina principium, foemina finis erit.
Annuit: atque celer stellata in veste Minister
Jam paret dictis, intonuitque Polus.
Arcano intonuit verbo tunc Virginis alvus,
Atque, salus nobis, iam parit illa Deum.
Nascere, magne puer, votis, lacrimisque petite,
Nascere, & infernas disiice, dive, manus
Atque modum rebus fessis impone; querelas
Ire procul jubeas, affer opem miseris.
Salve iterum venerande puer, Rex optime Divum,
Quem metuunt Æther, Sidera, Solque Deum.
Iratumque timet Regum veneranda potestas,
Qui tibi iam praebent oscula, thura, preces.

Tarta.

Tartarus atque tuo victus dat colla triumpho,
Et Stygii Lethes debilis unda fluit.
Salve iterumque puer, salve, regnator Olympi,
Atque tuis Coelum laudibus ingeminet.
Plaudite, Pastores, redeunt Saturnia regna,
Ferte citi lactis munera, serta, rosas.
Et spargat flores Corydon, & pulcher Alexis,
Titire cum Licida condita mella date.
Atque alios venerare Deum jam inducat Iolas,
Praebeat & Coeli lilia dona Deo.
Sisteret haec nobis etiam nunc firma voluntas,
Coelicolum Regi dona referre manu,
Illi sed sunt nulla mihi donanda; cor unum
Omni labe carens, quod dedit, ille regnat.

EPIGRAMMA.

TRes adeunt Reges nati cunabula Regis;
Ternaque dona ferunt, donaque pacis habent.
Haec miseris optata diu dulcissima pacis
Fert Deus ultro viris munera, factus homo.
Unde autem nunc esse putas, quod tristis ubique
Italia externo milite pace caret.
Unde metu Reges modo, Reginaeque fatigant?
Sat scio: longa, Deo vindice, bella gerunt!
Inspice collapsos mores, quam prava sequantur
Facta viri; & nosces, cur mala quaeque premant.
Natus quippe Deus pax est, queis recta voluntas;
Nescia pacis erit gens inimica Deo.
Italia optatam vis pacem? crimina defle;
Tumque jubente Deo pax erit, arma procul.
Sic quoque Principibus Tu collaetabere Divis;
Dum sit Amor, pietas debita, sitque fides.

Nilo,

EPIGRAMMA.

Nilo, an Jordani fueritne vetustior usus
Circumcidendi, cur ego scire velim?
Mitto haec, & quaero: cur insons perferat ictum
Num ut redimat? gutta est sanguinis una satis:
Justitiae satis est, sed non satis istud Amori
Longe alio pretio sic redimendus homo est.
Absolvit legem Deus; haec est sanguinis arrha
Multo effundendi verbere, deque cruce.
Interea Puer hic primo cur sanguine manat?
Divinus primo tempore ut extet amor.

EPIGRAMMA.

IAM nato exultant Pastores laeta canentes;
Auditurque: Deo gloria, paxque viris.
At Solyma hanc pacem nescit, Solymaeque Tyrannus,
Turbatusque pavet, Rege oriente novo.
Quaeris quid caussae fuerit? mens impia Regis
Horrendum Herodis mens meditata scelus.
Pax quoque abest nobis, armorumque ingruit horror:
Urgent sive domi tot mala, sive foris.
Quaeris cur sacro miseris pax tempore desit?
Si malefacta velis cernere, caussa patet.
Regnare est servire Deo; Regesque vocandi,
Natum ubi noverunt qui coluere Deum.
Hi Regum ad Regem regalia dona ferentes,
Et merita, & regum nomen, & omen habent.
Quid dubitem Reges? mirum spectaculum in astro
Praevio, & in triplici munere nosco Magos.

Qui

TETRASTICHON.

QUI venere Magi ſancta ad praeſepia Reges
Credebam, *Gabriel*; poſt tua dicta nego.
Quae dicendi vis fuerit, quae copia, conſtat;
Perge modo quod vis dicere, victor eris.

CARMINA.

BLande Puer, cum inter felicia regna maneres,
Et Coelo tuta gauderes pace beata,
Quid miſeras mavis terras Homo factus adire?
Dum deſaevit hyems, dum urget triſtiſſimus horror.
Ille autem ad me divinus Puer, ore tenello
Quid cauſſae fuerit neſcis? amor omnia fecit
Quin aliud, modo ames, ſupereſt tibi munus amoris.

EPIGRAMMA.

AD Praeſepe Magi quo ſe ſe tempore ferrent
Cum dubitent aliqui; nemo adiiſſe negat.
Poſt annos malunt; quibus eſt Epiphanius auctor;
At ſecus ante duos, tradidit ordo Patrum.
Magnum iter aggreſſos, ſtella duce, numquid inertes
Crediderim? neſcit deſidiam Pietas.
Quos tenet Herodes pauliſper, deſerit aſtrum:
Praefulget rurſus, dum properatur opus.
Hinc mora nulla, Deus dum quaeritur, hinc amor urget
Hinc breve fit, ſi quod longius extat, iter.

Deve-

IN IDEM

EPIGRAMMA.

DEvenere Magi, num Infantis post fugam, an ante?
Si post: In Bethlem quid reperire datum est?
Si prius: ergo adiisse stat, annis ante duobus;
Nullus sicque annus, qui numeretur, erit.
Hac de re potior quae sit sententia Patrum
Disce: Deum si vis quaerere, quaere cito.

EPIGRAMMA.

VOta quis excipiat? Coeli rorate superne;
Justum deque cavis nubibus imber agat.
Terra salutiferum fundat laetissima germen:
Gloria sit superis, paxque salusque viris.
Vix ea quum subito vox est elapsa per auras,
Implevitque aures, grataque verba tulit:
Jam floret germen, Justus venit, ecce Redemptor
Jam natum Ipse libens excipe corde Deum.

EPIGRAMMA.

QUI advenere Magi an Reges, fuerintne Dynastae
Si quis nosse velit, sat tua verba docent
Aiatne eloquio recreas: mihi prae omnibus unum
Cordi est, quantus amor, discere, quanta fides;
Suspicis Heroas, & amore fideque beatos
Ipse viros, stellam qui meruere ducem,
Ut primum venere Deum hunc Infantulum adorant:
Trino quisque colet munere, corde colit.
Magnanimae fidei genus hoc, ingentis amoris
Advena flamma, viros cur meditemur, habet.

Qui

EPIGRAMMA.

QUa libuit nasci forma, natumne Monarcham
Crediderim? ut Deus est, sat scio: cur ut homo est?
Cui praesepe fuit, prima iacunabula nato.
Regia cui stabulum, stramen agreste Thronus:
Pastores cui adsunt, cui bruta, Monarcha videtur?
Haec nisi pauperies, quae sit habenda, latet.
Regum equidem fateor Regem, at non nascitur ut Rex:
Quam diversa haec sint, optime Pyrrhe, vides.
Sed tu, qui eloquio polles, generosa profaris:
Nascentem mavis Regem: ego malo inopem.
Aut Regem, aut inopem, unanimes veneremur oportet:
Si Tu Regis, ego pauperis obsequio
Natus in exemplum, rerum cui summa potestas,
Mitis, inops, inopes vult, humilesque viros.
Sic tamen ut Reges Coelestem admittat in aulam
Spernere quotquot opes, deliciasque velint.

EPIGRAMMA.

PAx oriente Deo. pax est queis recta voluntas;
Nulla sed Herodi pax, Solymaeve datur.
Quin etiam ille agitur curis, agiturque furore:
In sacro Infantum sanguine terra madet.
Quo ruis infelix? qui dat coelestia regna
Non venit ut rapiat parvula: siste miser.
Regi parce Deo: te perdis iniqua gerentem,
Non hunc; sed facinus gens tua perficiet.
Quorum perfidia pereat, non nascitur Auctor
Pacis; at interitum, judiciumque parat.
Haec sint Herodis. Nobis pax quaeso paratur?
Nulla vel exterior, nulla vel interior.
Hei mihi! sat novi; dum cogito tempora, mores
Nulla quidem fuerit pax oriente Deo.

EPIGRAMMA.

UNi, ait, ex minimis quod feceris, hoc mihi factum
Pauperies humilis tam pretiosa Deo est.
Astrum Principibus, Pastoribus Angelus adsit,
Charior ut pateat divite quam sit inops;
Nempe loco exoriens, turbaque in paupere pauper
Maxima quae sua sit gloria, quemque docet.
Res est sacra miser. Superis dilectaque cum sit.
Quid dubitamus adhuc, praestet an hujus opus?

QUIS MINISTER CIRCONCISIONIS CHRISTI DOMINI.

HEXASTICHON.

AUt Joseph fuerit, Simeon, aut Virgo Ministra
Tanti operis; magna Tres pietate nitent.
Scilicet haec pietas mysteria sancta ferentem
Quam deceat, nostrum discere quisque potest.
Quale opus, actor talis; sed quam turpe videtur,
Quod quis contrectet, despiciatque Deum.

HEXASTICHON.

DEcipimur specie: humano sub judice praestant
Et genus, & rerum copia, & imperium;
Divino secus: & fidei cui plus & amoris,
Plus meriti est: quo uno gloria certa viget.
Pastores, regesque colunt; quae gloria nato
Major ab alterutris? Quos magis urget amor.

HEXA-

HEXASTICHON.

QUum natum angelica Paſtores vcce monentur,
Juſſa capeſſunt; at ſideris indicio
Longum iter ultro Magi ſubeunt, tacitoque laborant
Lumine praecellent quos ciet una fides;
Deque fide conſurgit amor, ſpes denique tanta
Omnibus abruptis, ut Deum adire velint.

EPIGRAMMA.

QUem vates cecinere olim, cecinere Sybillae
Natum Paſtores, Angeli, & Aſtra docent.
Qui in terris oritur Deus eſt, Judaeaque neſcit;
Neſcit quem agnoſcunt Bos, & Aſellus iners.
Stultitiamne putem, an perverſa, in mente ſtuporem
Dixerim, inauditum perfidiaeque genus?
Neſciat infelix: iratum Judicem habeto
Quem Patrem habere negat; vindicem habeto Deum
Sed quorſum haec? Longe nequior dicatur oportet
Pravos qui mores, cum bene credet, amet.
Me miſerum decies, nequicquam haec ſacra colentem
Optima qui fateor, deteriora ſequor.

HEXASTICHON.

FActus homo, magis an doceat, ſubeatne labores,
Mens minus apta mea eſt, quam abdita ut iſta ſciat.
Id ſcio, perpeſſum docuiſſe, obiiſſe docentem;
Sic docet & patitur, totaque vita ſchola eſt;
Poenarumque ſcholam, & virtutum hanc diſcere confert
Quod mediteris habes, hoc imitere opus eſt.

OCTASTICHON.

DUm tria dona Deo puero, Thus, Myrraque, & Aurum
Dantur, grata magis censeo corda virum;
Scilicet obsequio firmata, & amore, fideque;
Quam placuere Deo dicere nemo potest
Plus etenim dantes, quam dona, magisque
Affectu capitur, quam quoque muneribus.
Summa & ego quamvis in paupertate, quod unum
Suppetit, hoc trado cor: utinam accipiat!

EPIGRAMMA.

QUod carnem induerit verbum, fit quaestio: malit
Se abiicere, anne hominum magnificare genus.
Quae Orator dum agit, eloquii patet ars, ego vero
Laudo priora, tamen posteriora sequor.
Sive etenim spectetur Amor, seu finis Amantis
Nil magis est cordi, quam ut reparetur homo
Ad nos velle Deum descendere, velle ita nasci,
Velle mori, sunt haec omnia Amoris opus.
Sic nos ut letho eripiat, Verbum est caro factum:
Dum reparatur homo, glorificatur Amor.
At caro fit Verbum, nullo vel crimine Patrum:
Esto; Amor adventus tum quoque caussa foret.
Nil opus hic fuerit vel sanguine, vel cruce; id unum est.
Glorificanda foret, non redimenda caro.



Qui

CARMINA

IN CHRISTI DOMINI PASSIONEM

Graviusne Dominicae mortis caussa doleant qui peccavere, an qui justi ubique fuerint.

EPIGRAMMA.

QUi moritur Deus est; doleant magis aequi an iniqui?
Istos culpa, pius quidam amor angit eos
Atqui & amore dolent, si quos verus dolor angit
Crimen ob admissum; fortius ergo dolent.
Quum doleant, Christi interitus ut caussa, nocentes
Culpa & amor, duplex caussa doloris inest
Adde quod iste dolor superis jucundior extat,
Quam qui de justo pectore ducit Amor.

ALIUD.

DEsperat Judas, flet Petrus; disperit alter
Latro, percusso pectore, turba timet
Quem sequeris? Petrum, an turbam? vix credo latronem,
Aut Judam: quorum pessimus interitus.
Si. Petrum sequeris, sperans imitare dolentem
Si turbam, ne spem mitte, timeto tamen.

CHRI-

CHRISTI DOLOR DE CRUCE LOQUENTIS: DOLOR VIRGINIS TACENTIS SUB CRUCE.

EPIGRAMMA.

Filius ecce, inquit, tuus: oſtenditque Joannem,
Hunc ipſum adſpiciens, en tua Mater, ait.
De cruce verba refert, immenſi haec plena doloris
Sub Cruce Sancta Parens victa dolore ſilet
Quem amittit Deus eſt: homo, quem accipit ore loquentis
Jacturae heu maguum martyriique genus!
Acquirent hominem, nobis fit Mater in illo:
Nobis, quorum atro crimine Chriſtus obit.

EPIGRAMMA.

SAnguineus ſudor, fera vincula, flagraq; ſpinae
Exanimant Jesum; turba quid ergo furis?
Chriſtus obit noſtro potius, quam crimine turbae;
Quem ignorat, perimit, ſed mihi certa fides.
Poenitet hanc, nondum me poenitet: haeret iniqua.
Mens, vetitumque nefas cor meditatur adhuc.
Ergo mea exſuperat feritas; ego ſanguine fuſo
De cruce, ad extinctum vulnera vibro latus.
Quae autem vis, quaenam virtus modo corde pererrat
Denique noſco tuam vim, pretioſe cruor.

TETRASTICHON.

JUſtitiae ut pereat lex eſt, ut vivat Amoris:
Crimine mors homini, ſanguine parta ſalus.
Chriſtus obit, nos ut redimat: ſic Patris ab ira
Solvit, ab aeterno vindicat interitu.

Sangui-

Sanguineus ſudor, fera vincula, flagra, corona
Spinea, crux, clavi, lancea quid referunt?
Exſuperans pretium fuerat vel gutta cruoris;
Cetera quis fecit? cetera fecit Amor.
Verum, ut ametur, amat; neq; adhuc ſibi nactus amorem
Idque ego crediderim maximum amoris apus.

HEXASTICHON.

CUr quaeſo terram nox incubat atra per omnem?
Juſtitiae occiduus Sol quia luce caret.
Extrema ille ſubit, qui res dominatur in omnes;
Hinc jure intentum cuncta, & ubique dolent.
Singula cum doleant, coelum, Sol, terraque, & aequor
Pro quo Chriſtus obit vix doleo unus ego!

TETRASTICHON.

OS ori jungit Judas, & caedere Malchus
Os audet, major quinam ab utroque dolor.
Judas diſcipulus, Malchus velut hoſtis in hoſtem:
Inſcius hic. prodit conſcius ille Deum.

EPIGRAMMA.

OCcidit (horreſco referens) Pater altus Olympi:
Occidit, ut vivant qui peperere necem,
Hic Sol obſcura, prodit ſub nube dolorem
Aufugit e Coeli priſtinus ore color.
Sidera luce carent, tenebris latet abdita Luna,
Concutitur Tellus, concutiturque Mare.
Omnia teſtantur Naturae obiiſſe Parentem:
Coelum, Sol, Tellus, ſidera Luna, Mare.

Haec

Haec inter moriente Deo, ſpectacula luctus
 Cujus amore obiit, nil moveatur homo?

IN MALCHUM, ET JUDAM.

EPIGRAMMA.

PEr colaphum Malchus, perque oſcula prodit Judas
 Immeritum. Gravius quaeritur, uter agat.
Judas diſcipulus; Malchus violentior hoſtis:
 Inſcius hic, prodit conſcius ille Deum.
Et Malchum, & Judam tamen eſt qui crimine vincit
 Impius iſte ubinam? vivit, adeſt, loquitur
Adſum, & adhuc vivo pejor quam Malchus, Judas
 Prodit uterque ſemel; prodidi ego, heu quoties!

EPIGRAMMA.

SIc, ut homo eſt, patitur, non ut Deus, eſto Deus ſit:
 Naturae eſto duae, unus Deus, unus homo
Humanum eſt equidem, ut doleat, timeatque: cruore
 Ut deſudet, opus prodigio nihil eſt.
Et flagra, & ſpinae, clavi, crux, lancea, ſolum
 Afficiunt hominem: ex ſanguine ſudor item.
Naturae hic dolor, aut certe timor eſt, vel uterque
 Inde calix, inquit, tranſeat oro Pater.
Ut ſubeat mortem, infirma eſt caro, ſpiritus acer:
 Hinc, placitum fuerit quod tibi, fiat, ait.
Poenarum ſumma haec ſiſtit praecordia circum,
 Deſaevitque intus, quoad ſibi quaerat iter.
Poena vias aperit vehemens, veniſque cruorem
 Elicit: at pluvia haec tota, doloris opus.

EPI-

EPIGRAMMA.

QUa natus terra Deus eſt, occumbit eadem
Ortus lucem infert, hanc negat interitus
Chriſtus ubi moritur, tenebris obducitur aer
Scilicet occiduo Sole, fit atra dies.
Qui autem dona Deum excepit Judaea ferentem?
Sat ſcio, ut illudat, tot benefacta neget.
Sola cruci affixit, tenebrarum ſola tremiſcat
Horribili viſu; ſed graviora manent.
Lux namque adveniet reliquis, hanc oderit una:
Vixerit in tenebris gens inimica Deo.

EPIGRAMMA.

AN Paſcha oppetiit Jeſus, an pridie ademptus?
Auditum ſatis eſt; noſſe ſed inde libet.
Illud ego cauſſae eſſe putem, ut qua luce vocavit
De Egypto Populum, hac ſolvat ab interitu.
Illa itaque ipſa dies memores jubet eſſe ſalutis
Quos tenuit Pharao, quos tenuit Satanas.
Paſcha vetus velut umbra fuit: myſteria complet
Paſcha novum: hoc redimit nos, moriente Deo.

EPIGRAMMA.

QUem vultis, Pilatus ait, Chriſtum, anne Barabbam?
Dimiſſus Patriae moribus uter erit?
Conclamant omnes; non hunc, dimitte Barabbam
Acti odio, cuinam poſthabuere Deum!
Nec ſolum genus hoc ſceleris; Peccantibus hoc eſt
Hoc mihi: Poſtpoſitum prodidi ego, heu quoties!

AD ORATOREM: IN ARGUMENTUM

EPIGRAMMA.

QUae tibi debetur ſit laus: ego non tamen artem
Hac in re medicam profitaere velim.
Quid? Prono vinctoque coit cruor, atque ita ſenſus
Motuſque abfuerit? quam acriter ambo vigent!
Unus homo Deus hic potuit perferre tot ictus,
Queis modus haud fuerat, nec mora, nec requies:
Heu nimium ſentit, patitur, dolet! effluit olli,
Ne dubites, per quot flagra, tot ora cruor.
Malim ego non Medicus, quam verba, ciere dolorem
Sive tuum Michael optime, ſive meum.

EPIGRAMMA.

ORanti haec ſubeunt: Judae oſcula, vincula, ſpinae
Verbera, Crux, Clavi, Lancea, ſtans Genitrix.
Adde hominum qui ſunt, fuerant, qui deinde ſequentur
Flagitium immenſi ponderis adde meum
Totum id congeſtum manet alta in mente Precantis
Inde rubent artus, eliciturque cruor.
Id ſit prodigii, an naturae, non ego quaero
Martyrii genus hoc quis, rogo, fecit? Amor.

EPIGRAMMA.

CHriſti obitus alii quaerant annumque, diemque
Mortis triſte genus nunc mihi noſſe libet
Sanguineus ſudor, Judae oſcula, vincula, ſpinae
Verbera, Crux, Clavi, Lancea nunc ſubeunt.
Ita cient lacrymas, animoque haec altius haerent;
Haec doleo, quorum pars, ego magna fui.

EPI-

EPIGRAMMA.

CHristo obeunte, spei plus concipis, anne timoris?
Te, tuaque inspiciens, cur timeas, magis est.
Quid speres, mortem assiduo qui crimine acerbas,
Quorsum immutato more, salutis opus?
Maxima spes in eo: timor est vel maximus ex Te;
Te vocat Ille; negas Ipse; quid ergo? peris.


EPIGRAMMA.

QUi crucifiguntur dextra laevaque latrones,
Ambo criminibus, supplicioque pares,
At sorte absimiles fiant: hunc praemia vitae,
Perditio hunc sequitur; justus hic, ille reus.
Felicem quem poenituit; qui de Cruce novit
Latro Deum, fidei praeco, cruoris opus.
At Petrus, at Judas, proditque, negatque Magistrum:
Latro fateris, amas ultro, deumque rogas.
Judae absit finis: fac latro, piissime latro,
Multa Tui qui imitor crimina, sorte fruar
Latro dat, ut sperem; ut timeam, dat latro timendum,
Sperandumve magis? Quoad mea fata sinunt.

EPIGRAMMA.

QUod genus hoc odii? tantumne o Turba feroces
Saeva ultrix armas in pia membra manus?
Non satis impositum quod Christi vertice sertum
Persodiat tenerum, dilanietque Caput?
Nec satis est geminas fodiant quod cuspide plantas,
Nec manibus desint vulnera, nec lateri?
Quin tu dilaceras rursus quoque verbere totum
Corpus, & immerito Sanguine spargis humum.

Sed quid ego haec memoro? numero censemur in illo
    Nos quoque Nate Deo; Culpa fatenda mea est.
Quid faciam infelix? quo spes, quo Carbasa vertam
    Quis mihi perfugium, quis mihi portus erit?
Ad tua, Nate Deo, suplex nisi vulnera vertam,
    Illa meum possunt sola piare nefas.
Quas merui Deus ipse suo dat Sanguine poenas,
    Quem laesi pro me sustinet esse reus
Quam merito plectar, flammisque perennibus urar,
    Si mea non tangit pectora tantus amor.



B Heu

CARMINA
IN BEATAM VIRGINEM
DEIPARAE VIRGINIS LAMENTATIO.
ODE.

EHeu quo ruistis, quis furor impulit
Immanes animos? Huic ego ſum Parens
Infelix; Miſero parcite, ſiſtite
Fiunt haec mihi vulnera.
Sed fruſtra querulis vocibus obſtrepo,
Pergunt pravi homines, & mage ſaeviunt.
Languentem (heu pietas) Jeſum adhibent cruci,
Ambas confodiunt manus,
Ambos atque pedes. Hei mihi, ſpiritum
Inclinato in humum vertice tradidit!
Tantis Ipſa premor jam cruciatibus
Nati ut funere langueam.
Haec ſuprema fuit vox: oculis diem
Compreſſis vehemens eripuit dolor,
Olli membra ſopor ferreus occupat
Vultum Pallor & inficit.
Laetare interea criminibus tuis,
Exulta ſcelerum conſcius; occidit
Jeſus, Virgo Parens en jacet: eripit
Nobis Hunc ſcelus, Hanc Amor.
Sed conſcende jugi culmen, & inſpice,
Et luctum cohibe, ſi potes, Improbe,
Divinum aſpiciens in Cruce Filium,
Matrem ſub Cruce languidam.

EPI-

EPIGRAMMA.

INgratum vix esse putem, gratissima dona
Qui adspiciens danti gratiam habere neget.
Aspera bella premunt? mala depulit omnia Virgo
Depellenti hostes gratiam habeto memor.
Pax est Italiae? bona contulit omnia Virgo,
Gratiam habeto memor, foedera quae peperit.
Nos vexant morbi? recreat languentia membra:
Aufert omne malum Virgo, dat omne bonum.
Imperat Haec, orant alii: Regemque supremum
Ceteri habent, Virgo filium at una Deum.
Temporibusque, locisque adsunt non omnibus omnes,
Temporibus sed adest, omnibus una locis.
Id reliquum est, neque tempus abest, quo Virgine dante
Sternant infestos Caesaris arma Scythas.

EPIGRAMMA.

DEcerpit, traditque viro, premit ore quod anguis
Suasit: nostin? Ea est Eva, vir ejus Adam.
Sole induta, caput circum ter quatuor astra,
Lunaque sub pedibus, sub pedibusque Draco:
Sat novi hanc, iniquis, Maria est: manifesta triumphi
Sunt signa isthaec: Sol, sidera, Luna, Draco.
Harum ambae Matres; lethum Eva sibique suisque,
Virgo haec facta salus cum sibi, tum reliquis,
Nam paritura, suo, qui sanguine crimina tollat,
Felix Prole, Patris crimina nescit Adae.

EPIGRAMMA.

ELigat alterutrum: Verbi aut Genitrix, aut labe soluta
Sit Patrum; an primum, posteriusne velit?

Poste-

Posterius plane sibi sumpserit; hoc sibi majus
    Labe tum abesse omni, tum placuisse Deo:
Nec Deus in Matrem delegerit Hanc, nisi puram
    Omnino: quoniam est integra, sit Genitrix.
Hinc quia facta Parens, concepta est dignior, ex qua
    Prodierit nostrum crimina qui ablueret.

EPIGRAMMA.

PAtrum labe caret Conceptus, sicut & ortus;
    Virgini utrumque sacrum: sancta utriusque dies.
Et genuisse Deum, & culpa caruisse Parentum
    Virgineae Matri sunt duo praecipua:
Alterum in alterius merito concluditur: inque
    Matris honore, Dei munera quaeque nitent.
Hanc sibimet natam elegit Pater: Hanc sibi Matrem
    Verbum: Sponsam almus Spiritus hanc voluit.
Sanguis Christi, Ejus sanguis: sit gloria Christi
    Concepta ut primum est, Virginis integritas.

IN IDEM ARGUMENTUM.

ALIUD.

MAgna Duo cum sint, culpam nescire, Deumque
    Eniti; hoc majus, quaero ego, an illud erit?
Ecquod, ais, dubium? Matris decus omnia vincit,
    At Mater, quamquam foeda, fuisset adhuc?
Hoc nego; eam odisset Deus: Ergo Mater, ut esset
    Effugere antiquum debuit una scelus
Debuerat, potuitque Deus, sibi quippe futurum
    Matrem a labe Patris reddere eam incolumem:

Tota

Tota quidem pulchra est, maculamque ab origine nescit,
Praeviso nati sanguine, Pulchra nitet.
Hac in re, faxit Deus, ut profundere detur
Vitam, intacta Parens: sic peto, sic voveo.

TETRASTICHON.

QUis primo exitium tulit? Eva; Quis inde salutem?
Haec Virgo: fons est Virgo boni, Eva mali.
Eva parens hominum in lucem sine crimine prodit:
Noxia prodiderit Numinis alma Parens?

TETRASTICHON.

MAne oriens fert stella jubar, Solemque reducit:
Fert Virgo aeternum, Mystica Stella, jubar.
Lucifer & nescit tenebras, & praevenit ortum
Haec nescit culpam Virgo, Deumque parit.

EPIGRAMMA.

OMni labe caret Conceptio, sicut & Ortus;
Virgini utrumque sacrum: Sancta utriusque dies.
Major quo nemo est, conclusus Ventre Joannes;
Fit Sanctus, foetae Virginis ex utero,
Surrexit tamen Hic; numquam delapsa, Maria
Constitit; Hic Christi nuncius: Haec Genitrix.
Hanc sibimet natam elegit Pater: Hanc sibi Matrem
Verbum: Sponsam Almus Spiritus Haec voluit.
Sanguis Christi, Ejus Sanguis; sit gloria Christi,
Concepta ut primum est, Virginis Integritas.

EPI-

EPIGRAMMA.

VOs, o vos generis noſtri me attendite Patres,
O & communis fons, & origo mali!
Cum ſubit illius ſpecies triſtiſſima culpae,
Tunc maeſtae ex oculis labitur imber aquae:
Me me audite, Patres, coeli felicibus oris
Numine ubi vobis ſcire beante licet
Anguis monſtrum horrendum, audax an vicerit Illam,
Qua ſors infelix reddita fauſta fuit.
Dicite: culpae hujus noſtrae non extitit heres,
Nati namque ubi dextera prompta fuit.
Ecce immortali, ecce autem de Sede refulget
Ambita ſideribus panditur ipſa mihi:
Virginea & planta ſimul ac victrice Draconis
Horrendi infeſtum comprimit ecce caput.

EPIGRAMMA.

ET genuiſſe Deum, & culpa caruiſſe Parentum
Virgineae Matri Sunt duo praecipua
Alterum in alterius merito concluditur: inque
Matris honore, Dei munera quaeque nitent
Defendi haec par eſt Myſteria Sanguine; Matrem
Dum veneror, maculis & vacuam fateor.



CARMINA
PRO
DIVO JOSEPHO A LEONISSA,
ET
FIDELI A SIGMARINGA.

EPIGRAMMA.

INſignes Hi ſunt, quos ordo ſeraphicus ambos
 Edidit: ad Superos extulit alma Fides.
Illuxere, duo velut aſtra, Fidelis, Joſeph,
 Sigmaringa olli eſt, huic Leoniſſa parens.
Sanguis eum effuſus pro Chriſto: hunc legatio ſancta
 Pro Fide apud Turcas conſecrat, atque Italos.
Horum autem ſi quaeris, habes haec mira: Fideli
 Praecipiente ignis deperit arce furens.
Cingula tanguntur puero, vix oſcula dantur
 Ipſius ecce ſtatim mors timet exuvias.
Infantem exoſſem Joſeph ſtruit oſſibus: unda
 Suſpenſus tumida ſternit iter fluvio.
Sed quid ego memorem haec? Ambobus ſumma poteſtas:
 Amborumque aures ad pia vota patent.
O nunc, o Divi, quos jam veneramur ab aſtris,
 Nobis tam adverſo tempore adeſte, precor.

ALIUD,

ALIUD.

UNa Fides, Amor unus erat, labor unus Utrique
Magna docere ambo, magna ſubire pares.
Praemia non eadem ambobus? non Martyres ambo?
Martyrio cum ſint, quidni & honore pares?
Unus at emoritur, non alter: quaero, quid inde?
Hic cupit, & patitur, queis reliqui pereant.
Non niſi prodigium fuerit ſuperaſſe dierum
Dira trium: Angelica tum quoque vixit ope.
Vixit ope Angelica, moriturus: an ut minor eſſet
Martyre, Martyrii qui bene geſſit opus?

IN DIVAM
CATHARINAM MARTYREM.
EPIGRAMMA.

ORae Virgo decus Memphitidos, edita Rege
Ter magna; effuſo ſanguine, mente, fide
Mens excelſa ſophos, virtus tua Caeſaris iram
Magnanima exſuperat; vincit utroſque Fides.
Is tamen obtruncat: morienſque illuſtrior extas:
Coelum Animam, Sina Martyris oſſa capit.
Laus eſt magna ſophos viciſſe, inſtante Tyranno
Laus major condi Coelitibus tumulo,
Nec victa occumbis, Fidei veneranda Magiſtra;
Nec condi tumulo ſplendidiore potes.
Icciroo tumularis, ubi lex tradita primum,
Quod decorata tuo eſt ſanguine & ore Fides.

DE SANCTO PHILIPPO NERIO CONFESSORE.

ELEGIA.

Quem Roma excepit, genuit Florentia eodem:
Ut nitet haec nato, sic nitet ille Patre,
Dictus jure Parens amplissima in Urbe Philippus,
Arte nova absolvens Munus Apostolicum,
Gratius effectum est per eum, quod durius ante
Suspexere Homines Integritatis Opus.
Quam grata huic Pietas! facilisque & amabilis ore,
Intima praenoscens corda, in amore trahit.
Omnibus in populo praesto est, versatur in Aula,
Lucrifacitque Viros, quos & amare docet.
Quem circum, pueros ludentes ludere gaudet
Innocui ut malint esse hilaresque animo.
Huic felix, qui Vina cado quaesita ferebat,
Dat bibere: utque avidus publice uterque bibit.
Abdere virtutem quae gentes ambo vicissim
Contendunt, humiles quam placuere Deo:
At se se profert Divinus, quo aestuat, ignis;
Huic tandem, rupto pectore, aperta via est.
Evolat ad superas, unde haec advenerat, oras:
Secum Animam vehemens flamma vi amoris agit
Spiritus ergo Dei Te ad Regna Philippe superna
Eripit: hinc Romae prospicis & Patriae
Prospicias o & nobis, qui Sacra colentes
Haec tua, Tutoris nitimur auxilio.

IN PA-

IN PANEGYRICAM ORATIONEM
DE DIVO
THOMA AQUINATE.

EPIGRAMMA.

Scripsisti bene de me Thoma, haec edidit ore
Christus; quae major laus queat esse viro?
Laudari ore Dei scribentem gloria summa est,
Dicenti ore virum laus tibi praecipua.
Alterum in alterius praeclarum nomine cerno;
Is calamo valuit: Tu potes eloquio.
Quod bene jam scripsit Thomas, bene dicere Thoma
Tu potes: hinc totum quod bene dicis habes.
Scribentis Thomae divina oracula pandis,
Et laus unius fama fit alterius,
Ille Dei laudes meruit: Tu pectora fando
Alliciens pergis reddere digna Deo.

IN PANEGYRICAM
DIVI FRANCISCI DE PAULA
ORATIONEM EXIMIAM.

EPIGRAMMA.

Quem statuit Deus Omnipotens super omnia Regem
Et miser, & servus crimine factus homo;
Franciscus tamen antiquum reparavit, & auxit
Imperium hoc majus, quam retinere, putem?

Affir-

Affirmas id, magne Pater, rationibus usus
Quas admirari, non numerare licet.
Sed libet hanc unam tot laudibus addere laudem:
Nam per eas, quod habes, non valuere minae,
Me a vitio retrahis solo Virtutis amore:
Hoc per Franciscum Tu potes, alme Pater.

IN CONCIONEM ADVERSUS EOS, QUI AD EXTREMUM DIEM POENITENTIAM DIFFERENDAM PUTANT.

EPIGRAMMA.

AD mortem scelerum caveas differre dolorem,
Namque superveniet protinus Ira Dei.
Te magnae vexabunt tentantis Daemonis artes,
Te morbi, & curae, nec tibi tempus erit.
Esto, sit tempus converti, corde negabis;
Extrema haud dabitur poenituisse die.
Te nunc poeniteat: coelestibus utere donis;
Funde modo lacrimas, quas Petrus Ore ciet.

IN CONCIONEM DE MORTIS UTILITATE.

EPIGRAMMA.

QUam horribilis, quam dura, ferox inimica scelestis;
Quam optata, & dulcis mors, & amica Bonis!
Naufragium pravis: felix praenuntia vitae,
Et portus Justis: Hos beat, angit eos.

Horresc-

Horrefco referens: miferae huic occumbere morti,
Quam multis dabitur! fic moriare cave.
Haec *Orator* ait. Poft haec ita vivere quaero,
Ut felix valeam per bene facta mori.

IN CONCIONEM SUAVISSIMAM

DE AMORE

IN JESUM.

EPIGRAMMA.

DUriores, quam dura Silex, fcopulique minantes,
Si cum audis: Fili, cor mihi trade: negas,
Jefus, qui loquitur, legatique ore precatur.
Cede Viro, Fili perfide, cede Deo.

IN CONCIONATOREM.

EPIGRAMMA.

QUifquis es, in fratrum vitiis qui cernis acutè,
Audi; Oratoris verba falutis erunt.
Rex tuus ecce venit manfuetus, & ecce Redemptor
Nofter; Corde humilis quam fuit Ille, vide:
Quid refugis laefus, Fraterni foedus amoris
Frangis? mandati non meminiffe libet?
Emoriens Chriftus monumenta reliquit amoris,
Diffimulare nequis; Tuque, ut ameris, ama.

PRO

IN CONCIONATOREM.

EPIGRAMMA.

BUccina si resonat clangore inflata tremendo,
Formidat Timidus; Fortis in arma ruit;
Non aliter dum voce tonas, pavet, horret Iniquus
Divinoque magis flagrat amore Pius.
Barbaricis utinam tua Lingua tonaret in oris,
Tollit ubi falsos Ara profana Deos,
Te Clamante, solo jam fracta Idola jacerent,
Uni vota Deo jam daret una Fides.

IN CONCIONATOREM.

EPIGRAMMA.

OMnibus oppetere haud dubium est: mors eripit omnes;
Sed vitam hanc, tanquam non moriturus, amas.
Judicium quidam, & Coelestia Regna negarunt,
Tectaque Plutoni subdita: nemo obitum.
Fata suprema vides non evitanda, Philippus
Exclamat: dabitur Te benè posse mori.

IN CONCIONATOREM.

EPIGRAMMA.

O Patria, o Divum Domus, expectitaque nobis,
Inquit *Petrus*, adhuc dulcia verba sonant.
Viximus innocuè? ad Coelos tendamus: apertae
Ecce fores, Nobis obvius ecce Deus.

DE MORTIS NECESSITATE.

ELEGIA.

HEu juvenes, juvenes! praeceps dilabitur aetas,
Extrema haud homines flectere fata valent,
Molirive moram pietas rugisque, necique,
Omnia quae in Stygiis corpora volvit aquis.
Nil juvat an dives, Priamive ab origine natus,
Fictilis anne tibi sit scyphus ante dapes.
Aut tibi mille jugis campania pinguis aretur;
Ibis ad infernas Croesus an Irus aquas.
Infernum Plutona Deum, sedesque Piorum
Descriptas, triplici & moenia tuta lacu.
Porrectumque novem Tityum per jugera terrae,
Qui assiduas atro viscere pascit aves,
Infernumque canem, Eumenidumque videbimus angues,
Cocytum, lenta qui amne coercet aquas.
Pectoraque AEolidis Sisyphi damnata laboris;
Occurret Danai perfida turba senis.
Nil prodest telis, belloque carere cruento,
Aut fractis rauci fluctibus Adriaci;
Corporibus nocuo frustraque carebimus austro;
Imminet, & tacito mors venit atra pede.
Dumque potitus opes pleno subis ostia velo,
AEquora non possunt solvere membra rati?
Non tellus omnes concussa absorbet hiatu?
Non iter, aut febres, non mala, neve feci?
Dum linquenda domus, dulcis dum Natus, & Uxor,
Quid miser aera peto classe, Corynthe, tua?
Dumque rogis liceat dominum comitare cupressos
Me solum, gazas nil habuisse juvat.
Frustra igitur perquiris opes; quaerenda sed omnis
Virtus, quae mortis conditione vacat.

IN MORTEM HERCULIS FRANCISCI DANDINII COMITIS.

ELEGIA.

Quem Sapis ediderat, docuit quem Roma, tenet nunc
    Urbs Patavi extinctum: laus viri ubique viget.
Floruit is Cathedrà; triplici sermone latino,
    Hetrusco, grajo; Carmine; Jure sacro.
Herculis eximium illud sit: Pietate, Pudore
    Claruit, & laeta fronte verendus erat.
Nil sibi, multum aliis tribuens, vir amabilis omni
    Parte sui; minimum denique laudis amans.
Quo, Pueri, Patre; quo conjux orbata marito;
    Quo demum, infelix Patria, cive cares!
Dulce tui decus, Adriacae laus maxima Terrae
    Atque Italae, atque Orbis laus obiitque decus.
Fortunae post lustra decem, Vitaeque bene actae
    Civis obit clarus nomine, clarus Avis.
Nobis jampridem, heu miseris, inviderat Aula
    Coelicolûm: Hunc sedes jussit adire suas.
Soletur spes una tamen, quod coelite dignam
    Tutelam is capiat, praesidioque juvet.
Hinc Caesena cave doleas Civem astra petentem;
    Parcito jam lacrymis; harum ego quaero modum,
Namque datum fatis est naturae: injurius extat
    Praeterea dolor hic & Fidei & superis;
Quod mortale fuit, rapuit mors; Regia Coeli
    Immortale capit; proximus ille Deo est,

Respi-

Respicit inde suos; non ergo amisimus, adde
    Pars quoque multa Viri nescia Mortis adest;
Intereunt neque enim Virtutes; Facta supersunt:
    Proles cum egregia Conjuge vivit adhuc.
Horum ego crediderim fore denique, ut unus & alter
    Excelsum referant, aequiparentque Patrem.

IN IDEM ARGUMENTUM.

ELEGIA.

Hisce oculis Egomet vidi, cum apparuit ingens
    Ejus imago; nitor vestibus, ore nitor.
Coelestem novi, nec me decepit inanis
    Somnus; protendens brachia, mene vocas?
Mene vocas? inquam: fatis melioribus uti
    Ipse velim, tecum suscipe, abibo lubens.
Fare, age. Contra ille: adveniet tibi sors tua; id unum est,
    Tu ne cede malis, hinc tibi parta salus;
Tristia sustineas; Ego non oblitus Amicum
    Usque adero, donec venerit illa dies
Terminus exilii. Interea tu conjugem adito,
    Tu solare meam; sors mihi quae sit, habes.
Praeterea dulces adeas, mea pignora, natos;
    Virtutem ut discant ex Patre, fac moneas;
Temperet a lacrimis Proles mea, temperet Uxor,
    Non illis pro me tristibus esse licet.
Si quid profuerim mortalis, prodero civis
    Quo magis aeternus, retribuente Deo?
Stat sua cuique dies; solis virtutibus altum
    Tendimus in Coelum; coetera Mortis erunt.
Sic ait, & subito in tenues evanuit auras,
    Et circum latè lucida facta via est.

Vota ego tum ingeminans iterumque iterumque vocavi,
    Nequicquam duplices extuli ad astra manus.
Nec vocem audivi ulterius, multumque, diuque
    Suspexi, neque adhuc cernere deinde datum est.
Pax animi tamen ex illo dulcissima venit,
    Ut me curae omnes impavidum feriant;
Atque una atque eadem haec sententia prodeat
    Cur ego, quo ille obitu. cur ego non ı

AD CLARISSIMOS

FRATRES DANDINIOS

OPTIMAE SPEI ADOLESCENTES.

EPIGRAMMA.

FOrtibus, atque bonis, fortesque, bonique creantur:
    Non Aquila imbelles Martia gignit aves.
Quo mea pertineant verba haec, cognoscere vestrum
    Eximii Soboles o generosa Viri:
Ut pius, ut clemens, humilis, doctissimus ille
    Essete: una utar voce referte Patrem.
Id si feceritis, nil ejus morte querendum,
    Multiplici cujus germine surgat honos.
Proximior quam vos nemo est, qui damna rependat
    Extincti Patris: vestrum opus hoc fuerit,
Candida Progenies, solo *Hercule* digna Parente
    Virtutum haeredem si modo te exhibeas.
Ut merita ipse unus laudesque coegit Avorum,
    Sic vos, dicam iterum, cogite Patris opes.
Sed quid ego hisce utor monitis? ignoscite quaeso:
    Non Aquila imbelles Martia gignit Aves.

ELE-

ELEGIA.

PAucula conſcripti, quae auditis carmina, Patres
  Ingenio alterius, ore profecta meo
Ne injucunda rogo ſint; vultu, animiſque favete:
  Nec moveat, quod ego ſim puer, arte rudis
Forſan & haec olim noſtro confecta labore
  Laudibus extulerint optima facta Patrum;
Nam qui praepoſitus Nobis, Auctore Senatu,
  Si vir praecipiat, ſpes mihi multa ſedet.
Quod ſuperi ſi praeſtiterint mihi, gloria veſtra eſt,
  Veſtrum hoc, quod recte conſuluiſtis, opus.
Delegiſtis enim, Patres, prodeſſe docendo
  Qui velit, & poſſit; qui det, ut ipſe velim.
Nec dictum audacter fuerit, ſi & poſſumus inquam;
  Noſtis enim, ut Coelum hoc fuerit ingeniis
Noſtra vigent & adhuc veterum monumenta virorum,
  Quin Urbs praeſentes, quos imitemur, habet.
Noſco virum, eximiumque colo, cui plurima fama eſt
  Immortalis honos Urbis apud Venetos.
Quare haec ſedulitas prodeſt, ſpectataque cura
  In delectu hominis, quo duce, nolle nefas.
Nimirum Ille ſuos omnes docet, excitat, orat
  Curam, opus ingeminas; nec mora, nec requies.
Ergo huic, ordo Patrum, o faveas: tantoque labori
  Adſis, noſter is eſt legibus, atque animo:
Excipe nunc hominem, & ſartum tectumque jubeto;
  Conſulere id fuerit cum ſibi, tum Patriae:
Huic magis antiquum nihil eſt, quam ut proſit in Urbe
  Omnibus, ac primum nobilibus Pueris;
Horum unus rogo vos; Patriae obteſtorque parentes
  Pacem ſtet noſtro conciliare Duci,
Et ſi quid generique meo, precibuſque tributum
  Senſero, nil nobis gratius eſſe putem.

EPI-

EPIGRAMMA.

Europae an licet naturae lege apud Afros
    Mercari Servos, quaestio mira mihi est.
Afro sic libeat mercarier Africae in oris:
    Quo in genere hunc socium nullus habere velit;
Libertate caret nemo nunc, lege, fideque;
    Qui velit esse sui servus, eum esse puto.
Mercatura Hominum, brutorum more, nefanda:
    Vendendus non est, sed redimendus Homo.
Consortes sibi sunt mortales, sunt & eadem
    Sorte immortali, duri ubi fata sinant.
Sordidius quid erit, quam ut quidam turpiter ausint
    Quaerere nunc servos, quos habeant Dominos?

EPIGRAMMA.

Pinus Opi, Myrtus Veneri sacra, Laurea Phoebo
    Populus Alcidae, Quercus amica Jovi.
Hi steriles cum ferme habeant, sibi Pallas olivam
    Deligit: Haec sapiens nata Jovis cerebro.
Hinc dum quid gerimus minus utile, gloria stulta est,
    Quive hominum generi prosit habendus honor.
Itala nedum autem, novit prius extera Tellus,
    Haec tua quos fructus Arbor, Jule, ferat
Consilii, decorisque, animi praestantiae, amoris
    Justitiae fructus edidit, ac fidei.
Jam vero AEmiliae fines media ipsa tuetur
    Nos & prosterni turbinibus vetuit,
Fundit enim late ramos, it vertice in astra
    Alte infixa haeret. Sed cui sacra? Petro.

EPI-

EPIGRAMMA.

PUblica ubique rei pariantne ſcientiae an artes
  Utiliorem uſum, novi ego ab ore equitis.
Haec mihi privato quid proſint, vix ego novi:
  Vix mihi proſpiciens conſulo, vixque meis.
Si quid literulis valeo nunc, ſi arte docendi
  Quidquam olim valui, judicium eſto virum:
Quare ſit factum, jaceam ut prope perditus omni
  Vitae ſubſidio, non bene perſpicio
Quae praeſint; faveantque, Artes ſua Numina poſcunt
  Hoc tandem, implorans quod colo, Numen adeſt
Plus quam oſtro, meritis hoc eminet, hoc fovet arteis
  Quarum ope ſit felix ſub ditione genus.
Tum vero laeta dies advenerit, Artes
  Hac tibi ſunto, ut pax cuique, & oborta ſalus.

JOSEPHO ANTONIO ALDINIO

DE MUSICES VIRTUTIBUS

DISSERENTI.

EPIGRAMMA.

MUſica tam curae eſt, ignoſce *Aldine*, Poeſim
  Malim ego; quae tua ſunt, Ergo Poeta ſiles?
Muſicum ego novi te numquam, noſco Poetam,
  Qua in re laudari ſi velis, ultro id agam.
Lege ſub hac, ne artem extollas, quae mulceat aures:
  Neu ſileas, quae animos recta docere queat.
Muſicam & ipſe quidem prorſus non temno: Canentes
  Vix fero: blandi ſunt voce, moleſti opere.

EPI-

EPIGRAMMA.

Mens Diva exculta est. Menti posuere Quirites
Templa Deae, ut Mauras pertimuere manus.
Consul ab hoste perit; spes est ablata salutis;
Mentis ad extremum munere parta salus.
Pro Jove, proque Diis saltem Mens una fuisset
Nil praestabilius Mente habuere viri.
Quamquam id ego noram; sed quae affert *Pincius* ore
Doctiloquo nobis, haec prope visa, nova.

EPIGRAMMA.

Imperii collega Nepos; Viro Episcopus haeret
Purpureo; lectus considet ordo Patrum.
Hinc Matronarum formosius assidet agmen
Hinc Equites; Vates denique laeta canunt,
Concelebrantque Virum. Sic Jupiter optimus inter
Numina; sic Musas inter Apollo sedet.

AD ILLUSTRISSIMUM AC REVERENDISSIMUM ANTISTITEM NOSTRUM NEC NON AD EXIMIUM ABATEM CAROLUM *ORATOREM PRAESTANTISSIMUM*.

EPIGRAMMA.

Praesul & Orator: Thomas & Carolus; Ambo
Insignes meritis, nostra in utroque salus.
Intulit idem annus duo maxima lumina nobis
Ille nitet gestis: Hic nitet eloquio.

Urbi

Urbi alter mansurus adest: dolet alterum abire;
Divini eloquii sed monumenta manent.
Quae Orator fudit lectissima semina, fructus
Perpetuos, Thoma rite colente, dabunt.

IN IDEM ARGUMENTUM.

TETRASTICHON.

ISte tuis coit auspiciis Accademicus Ordo,
Hinc Tu lectorum perspice corda virum.
Novimus in Te uno Praesul, meritum omne, decusque:
Teque diu servent haec sacra: vive diu.

EPIGRAMMA.

UT sim qui Lector fueram; praesintque Magistro
Bini Equites, verbis obsecro supplicibus.
Quae autem urgent duo sunt: alieno me aere gravari
Natis proque meis vix mihi sufficere;
Praeterea grave Discipulis est, turpe Docenti,
Quemlibet incertum Judicem adire scholas.

AD

JOANNEM MARCHIONEM

FACCINIUM

ORATOREM.

DISTICHON.

NOn cantus mihi, non choreae placuere Joannes
Doctiloque; ut placeant, per tua verba, facis.

P AD

AD EQUITEM ORATOREM.

DISTICHON.

TE dicente canunt quam plures, quae caussa putanda est?
Vel tibi, vel certant plaudere materiae.

EPIGRAMMA.

VEstra, Viri illustres, laus optima Patris adempti
Me tristem sobolem continet a lacrymis.
In Patrem haec pietas natos una excitat omnes,
Officii ut memores pepetuo esse velint.
Pro Patre, proque meis ego sane, Academica vatum.
Lecta manus, meritis expeto digna tuis.

EPIGRAMMA.

NOcte urgent pluviae: medio sed mane serenat;
Laudibus ecce tuis fit mage laeta dies.
Regis opus! flumen praeceps moderaris utrumque;
Jam superest iras ut moderere Maris.
Tu ad nos, Jule, venis Regno dominatus Iberi:
Regno, Jule abeas, ut dominere Petri.

EPIGRAMMA.

OPtima amicitia est, consensio maxima rerum
Quosdam inter, quorum pectora junxit amor.
Haec porro ut praestans, hodie sic rara videtur;
Caussam doctiloqui quaerite ab ore viri.

Cura

Cura quid expediat prior eſt, quam quid ſit honeſtum
Hinc fit amicitiae verae ita rara fides:
Tempora laeta viri ſectantur; ſic & Hirundo
Veris amica venit, frigore pulſa fugit.

EPIGRAMMA.

FOEmina quaeque optat pulchro praecellere vultu:
Si adfirmare ſecus quis velit, hoſtis erit.
Pulchrae omnes quae adſunt: habeant, me judice, poma
Aurea: vitandum eſt, judicium Paridis.
Infelix fuit ille Paris decernere adorſus,
An Juno, an Pallas pulchrior, anne Venus.

EPIGRAMMA.

UNa viri ex latere educta eſt, repetenſque priorem
Sedem, perpetuo cui dominetur, habet;
Immerito tamen, & vix nunc compeſcimus iram
Poſtpoſuit Deus hanc, praepoſuere viri.
Ejus vis nulla eſt; inſania quippe virorum
Efficit, ut poſſit Foemina, eique ſubeſt.

EPIGRAMMA.

AN vini, an Regis? non haec eſt vis maxima ſexus
Foeminei: haec vino, plus quoque rege poteſt,
Tertius id ſenſit Puer, accumbente Dario,
Foeminea de vi, promeruitque fidem.
Terrarum ſiquidem Dominos muliercula ſubdit:
Et quod vix valeant arma; Puella poteſt,

Vis animi, aut visus, tam infirmo in corpore tanta est
Quid rides? procul hinc, ne capiaris, abi.

VINCENTIO COMITI MASINIQ


EPIGRAMMA.

VIncenti, quoties studiorum accedis ad aedes
Audis ut resonet carmine Musa novo?
Nos ipse accendis, qui Phoebo digna loquutus,
Et Patrum, & Vatum dicere jure caput.

GRATIARUM ACTIO.

EPIGRAMMA.

QUod me Doctorem statuistis, gratia vestra' est:
Quod nullo sumptu, fit pietatis opus.
Retribuat vobis Deus: haeret munus utrumque
Grato infixum animo, reddere nequit inops.



J. P.

J. P.

E plantato Saxo inanem sibi gloriam quaerenti

A. L. C. d. d. d.

COnspirata manus quem nuper subdole inique,
Et contra Vetitum pro libito posuit
Inscriptus lapis interea stet Judicis ore,
Non ideo Lusus jam efficitur Rubicon:
Stat Lapis alter enim per saecula multa, decusque
Vindicat hic noster, nec removendus erit:
De Rubicone silet Judex, liceatque per ipsum
Marmor inesse illic, aut Ubicumque velis.
Plance quid exultas? quid? adhuc sub Judice lis est;
Carmina nil opus est cur tibi quaesieris:
Desipit Auditor quondam tuus, & tibi plaudit
De lapide, ut Causae pondera victa forent.
Magnum invenisti praeconem Plance tuarum
Laudum! quaestus sis Carlius ediderat.

CANDIDE LECTOR.

HAEc fere ſunt, quae, praeter ſoluta oratione conſcripta, poſt Auctoris obitum reperta ſunt. Plura alia conſcripſiſſe certo ſcimus, quae aut incuria perierunt, aut hic apponi juſtis de cauſſis non exiſtimavimus. Si quid minus adriſerit, ne nobis vitio des te oratum volumus, & ne, quum plura niteant in carmine, pauculis offendaris maculis. Vale.

F I N I S.



INDI-

INDICE

DELLI CAPI CHE SI CONTENGONO NELLA PRESENTE RACCOLTA.


CAPITUM CARMINUM.

CARMINA VARIA.

Aliud.

Ad equi-

FINE DELL'INDICE.



IMPR.

ERRATA CORRIGE.

TRA LE POESIE ITAL.

Pag.	3. lin.	4.	di morte.	del monte
	26.	5.	agrada	aggrada
	29.	7.	misti	mesti
	33.	3.	eppena	appena
	52.	2.	Entro	Estro
	57.	7.	vegga	segga

INTER CARMINA LAT.

Pag.	75. lin.	8.	Titire	Tityre
	81.	14.	vindecem	vindicem
	82.	5.	... dantes	cernit dantes
	84.	6.	maguum	magnum
	84.	18.	Tetrastichon.	Decastichon.
	87.	11.	adempus	ademptus
	88.	2.	profitaere	profiteare
	91.	1.	ruistis	ruitis
	107.	14.	fuerit	faverit
	107.	22.	ingeminas	ingeminans
	107.	1.	Publica	Publicae
	109.	3.	Haec	Hae
	109.	13.	... laeta	cum laeta



